



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

Concilium Santonense, In Qvo Heraclivus Presbyter episcopus Santonensis  
creatus est, remoto Emerio, qui Clotharii regis imperio contra Canones  
fuerat ordinatus, sub annum Christi DLXIII. Ioannis III. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

**CONCILIVM SANTONENSE,**  
**IN QVO HERACLIVS PRESBYTER**

ANNO  
CHARIBERTI  
563.

episcopus Santonenſis creatus eſt, remoto Emerio, qui Clotharii regis imperio contra Canones fuerat ordinatus, ſub annum Chriſti DLXIII. Ioannis III. papæ IV. Chariberti regis II.

**S**YNODI huius auctor fuit Leontius metropolitanus Burdigalensis cum episcopis comprouincialibus. Iuſta autem depellendi ab episcopatu Emerii cauſa videbatur, quod is non a clero & populo electus, ſed regis voluntate cathedram adeptus, ac ſine metropolitani conſenſu fuerat ordinatus; quorum utrumque contra eccleſiaſticam diſciplinam in proxima nuper Synodo Pariſienſi confirmatam actum fuiſſe dubium non erat. Attamen Chariberto regi Clotharii patris decretum retineri placuit. Quare & Heraclium a Synodo electum male accepit, & Emerium reſtitui iuſſit, multa etiam episcopis Synodi auctoribus impoſita, vt Gregorius Turonenſis docet libro quarto hiſtoriae Francorum, cap. 26. Apud urbem, inquit, Santonicam <sup>b</sup> Leontius, congregatis prouinciae ſuae episcopis, Emerium ab episcopatu depulit, aſſerens non canonicè fuiſſe hoc honore donatum. Decretum enim regis Clotharii habuerat, vt abſque metropolitana conſilio benediceretur, qui non erat praesens. Quo eiecto, conſenſum fecere in Heraclium tunc Burdigalensis eccleſiae presbyterum: quod regi Chariberto, ſubſcriptum propriis manibus, per nuncupatum presbyterum tranſmiſerunt. Qui veniens Turones, rem geſtam beato Euphronio pandit, deprecans hoc vt conſenſum ſubſcribere dignaretur. Quod vir Dei manifeſte reſpuit. Igitur poſtquam presbyter Pariſiacae urbis portas ingreſſus, regis praesentiam adiit, haec effatus eſt: Salue rex glorioſe: ſedes enim apoſtolica eminentiae tuae ſalutem mittit vberriſſimam. Cui ille: Numquid, ait, Turonicam adiitſti urbem, vt papae illius nobis ſalutem deferas? Pater, inquit presbyter, Leontius tuus cum comprouincialibus episcopis ſalutem tibi mittit, indicans Aemilium, (ſic enim vocitare conſueuit Emerium ab infantia ſua) eiectum ab episcopatu, pro eo quod praetermiſſa Canonum



ANNO  
 CHRISTI  
 563.

functione, vrbis Santonicae episcopatum ambiuit. Ideoque consensum ad te direxerunt, vt alius in eius locum substituatur; quo fiat vt dum transgressores Canonum regulariter arguuntur, regni vestri potentia auis prolixioribus propagetur. Hoc eo dicente, frendens rex eum a suis conspectibus extrahi iussit, & plauastro spinis suppleto imponi desuper, & in exilium protrudi praecipit, dicens: Putasne quod non est super quisquam de filiis Clotharii regis, qui patris facta custodiat, quod hi episcopum, quem eius voluntas elegit, absque nostro iudicio proiecerunt? Et statim directis viris religiosis, episcopum in loco restituit: dirigens etiam quosdam de camerariis suis, qui exactis a Leontio episcopo mille aureis, reliquos iuxta possibilitatem condemnarent episcopos. Et sic patris est vltus iniuriam.

NOTÆ SEVERINI BINII.

<sup>a</sup> Concilium.] Cum in Concilio Parisiensi tertio supra constitutum fuisset, ad episcopatum admittendum esse, non quem regis auctoritas absque canonica electione intrusisset, sed quem clerus elegeret, & episcopi prouinciales vna cum metropolitano probassent: Leontius Burdigalensis episcopus, collecto collegarum suorum Concilio Santonis, post alia decreta, Emerium episcopum Santonensem a Clothario rege eo modo in episcopatum regia auctoritate intrusum, sede priuauit. Quod cum Chariberto regi nuntiatum esset, ira fremens nuntium presbyterum a suis conspectibus extrahi iussit, & plauastro spinis suppleto imponi desuper, & in exilium protrudi praecipit; conuocatoque aliorum religiosorum conuentu, Emerium vi iterum intrusit. Rem in Concilio gestam prolixius describit Gregorius Turonensis lib.4. cap. 26. his verbis: *Apud urbem Santonicam Leontius, congregatis prouincia sua episcopis, Emerium ab episcopatu depulit, asserens non canonice fuisse hoc honore donatum. Decretum enim regis Clotharii habuerat, vt absque metropolitani consilio benediceretur, qui non erat praesens. Quo eiecto, consilium fecerunt in Heraclium Burdigalensis ecclesiae presbyterum: quod regi Chariberto, subscriptum propriis manibus, per nuncupatum presbyterum transmiserunt. Qui veniens Turonos, rem gestam beato Euphronio pandit, deprecans hoc, vt consensum subscribere dignaretur. Quod vir Dei manifeste respuit. Igitur postquam presbyter Parisiaca vrbis portas ingressus, regis praesentiam adiit, hac effatus est: Salue rex gloriose: sedes enim apostolica (ita Turonensis & Burdigalensis ecclesiae nominantur, non quod ab apostolis fuerint institutae, sed quod apostolica auctoritas per pallium a sede Petri concessa, illis inesset) eminentia tua salutem mittit vberimam. Cui ille: Numquid Turonicam adisti urbem, vt papa*

Causa & acta Concil.

Clotharii factum ctu- dele.



illius nobis salutem deferat? Pater (inquit presbyter) Leontius tuus cum comproncialibus episcopis salutem tibi mittit, indicans Æmilium (sic enim vocitare consuevit Emerium ab infantia sua) electum ab episcopatu, pro eo quod prætermittitur Canonum sanctione, urbis Santonica episcopatum ambiuit: ideoque consensum ad te direxerunt, ut alius in locum eius substituatur: quo fiat, ut dum transgressores Canonum regulariter arguuntur, regni vestri potentia auis prolixioribus propagetur. Hoc eo dicente, fremens rex eum a suis conspectibus extrahi iussit, & plastro spinis suppleto imponi desuper, & in exilium protrudi præcepit, dicens: Putasne, quod non est super quisquam de filiis Clotharii regis, qui patris facta custodiat, quod hi episcopum, quem voluntas regis elegit, absque nostro iudicio proiecerunt? & statim electis viris religiosis, episcopum loco restituit. Permansisse Emerium deinceps in Santonenſi episcopatu, eundemque reconciliatum fuisse Leontio, ex his quæ scribit Venantius Fortunatus in carmine de basilica sancti Bibiani, intelligi potest.

Emerius  
penitentia  
egit.

Leontius  
Burdigalen-  
ſis episco-  
pus.

Leontius.] Hic Leontius XIII. numeratur a Fortunato Burdigalensis episcopus; qui nobilissimo genere ortus, diuitisque pollens, & egregius animi virtutibus exornatus, coniugatus licet, inuitus ad eius ecclesiæ episcopatum assumptus fuit. Nomen coniugis fuerat Placidina, ex imperatorio stemmate procreata: quæ optimis composita moribus, etsi a sancto viro suo corpore diuisa foret, bonis tamen operibus ipsi comes indiuidua inhaesit. Archima soror Placidinae, & vxor Apollinaris, etiam indulſit viro suo, ut episcopus crearetur, ipsaque diuinis templis erigendis vacaret. Gregorius Turoſensis de gloria martyrum cap. 65. Fortunatus lib. 1. carm. in laud. Leontii. Baron. ann. 566. num. 19. & 20.

ANNO  
CHRISTI  
563.

<sup>a</sup>CONCILIVM<sup>b</sup> LVGDVNENSE II.  
GVNTRAMNI REGIS IVSSV IN IPSIVS  
regno celebratum, \* anno Christi DLXVII. indictione  
xv. Ioannis III. papæ anno VIII. Chariberti, Gun-  
tramni, Chilperici & Sigeberti fratrum regum VI.

ANNO  
CHRISTI  
567.

\* ANNO  
CHRISTI  
DLXX. ET  
MENS IV-  
TINO.

TITVLI CANONVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. De controuersis episcoporum per metropolitanos componendis.                             | nicatus, ab omnibus episcopis excommunicatus habeatur.   |
| II. Ut rata sint donationes episcoporum & clericorum, ecclesiæ vel aliis factæ.            | V. Ut quæ ab episcopo alicui in usum aut proprietatem donata sunt, ab eius successoribus non auferantur. |
| III. De iis qui aliquos per vim & nefas captiuos tenent, excommunicandis, nisi restituant. | VI. De litanis prima Nouembris hebdomada in omni ecclesia celebrandis.                                   |
| IV. Ut ab vno episcopo excommu-  |  |

PRÆ-